UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Voto, Et Voti Redemptione. Titvlvs XXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

demus, quòd cùm tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter hujuſmodi perſonas licitè poteſt contrahi, & taliter copulati divortium nequeunt poſtulare.

CAP. II.

Si alter infidelium conjugum venit ad fidem, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles adſignatur converſo.

Gregorius IX. *Argentin. Epiſcopo.*

EX literis *a* tuis accepimus, quòd quidam de Iudaicæ *b* cæcitatis errore, ad Chriſtum verum lumen adductus, uxore ſua in Iudaiſmo relicta, in judicio poſtulavit inſtanter, ut eorum filius quadriennis adſignaretur eidem, ad fidem catholicam, quam ipſe ſuſceperat, perducendus *c*. Ad hoc illa *d* reſpondit, quòd cùm puer adhuc infans exiſtat, propter quod magis materno indiget ſolatio, quàm paterno, ſibique ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum *e* laborioſus fuiſſe noſcatur, ac *f* ex hoc legitima conjunctio matris & fœminæ magis matrimonium, quàm patrimonium nuncupetur, dictus puer apud eam debet convenientius remanere: & infrà. Cùm autem filius in patris poteſtate conſiſtat, cujus ſequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debet *g* apud eas remanere perſonas, de quibus poſſit eſſe ſuſpicio, quòd ſaluti, vel vitæ inſidientur *h* illius, & puer poſt triennium, apud patrem non ſuſpectum ali debeat & morari: materque pueri, ſi eum remanere contingeret apud *i* eam, poſſet illam adducere ad infidelitatis errorem: in favorem maximæ fidei Chriſtianæ reſpondemus patri eundem puerum adſignandum.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

TITVLVS XXXIV.

CAP. I.

Vota poſſunt eleemoſynis redimi, vel in aliud commutari, interveniente ſuperioris auctoritate, & juſta cauſa redimendi, vel mutandi.

Alexander III. *Exonen. Epiſcopo.*

DE *k* peregrinationis votis, an eleemoſynis redimi poſſint, vel pro neceſſitate in aliud commutari, Reſpondemus, quòd ab ejus, qui præſidet, pendet arbitrio, ut conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis, ſcilicet an *l* ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum, an alia cauſa probabili peregrinatio, an *m* recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta: & ſecundùm hoc debet exinde diſpenſare.

CAP. II.

Commutat Papa votum ultramarinum, in his maximè, qui in puerili ætate voverunt.

Idem *Norvicen. Epiſcopo.*

VEnientis *n* ad nos R. narratione accepimus, quòd in puerili ætate conſtitutus Hieroſolymam diſpoſuit proficiſci: cuidam quoque, qui ſepulchrum Dominicum propoſuerat viſitare, fidem dedit, & ſuam recepit ab eo, quòd ſibi invicem in via ſocii fideles exiſterent: [1 & *infra.*] Nos autem ipſum à voto, quod in ætate tenera facilitate potius, quàm ex arbitrio diſcretionis promiſit, abſolvimus: ita tamen: quòd idem votum eleemoſynis redimat, & juxta conſilium *o* noſtrum, toto vitæ ſuæ tempore uni pauperum Chriſti (dummodo ad hoc ſuæ facultates ſufficiant) debeat providere.

[1 *Et bonam ſocietatem ſervarent, quod uterq; ſolicita mente revolvens, ad nos acceſſit, ut ſibi noſtrum ſuper hoc conſilium aperiremus.*]

CAP. III.

Ex ſola conceptione boni explicandi non obligatur quis ad bonum conceptum exequendum.

Idem *magiſtro A. de Mondefort.*

LIteraturam *a* tuam: [1 & *infrà.*] Cùm ex quadam minutione nimio fuiſſes mortis pavore perterritus, hæc verba protuliſti. Non diu hic morabor: proponens in animo, quòd religionis habitum eſſes aliquando ſuſcepturus: [2 & ſ.] Tibi igitur reſpondemus, quòd ſi plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor judicari non poteris, ſi non impleas, quod dixiſti.

[1 *Et prudentiam tuam jam pridem fama revelante, cognovimus: & ſaluti tuæ tantò attentius conſulere volumus & debemus, quantò perſonam tuam conſideratione honeſtæ converſationis & vitæ, ferventioris charitatis brachiis amplectamur. Relatum eſt nobis ex parte tua, quòd.*]

[2 *Sed propter frequentes infirmitates, quæ plerumq; vitæ diſtrictionem impediunt, & quia indigentibus & tranſeuntibus te hoſpitalem exhibes, pluraq; ſolatia impendis, quod concepiſti olim in animo, opere non impleſti: ac per hoc dubitas ne de facta fide voti in diſtricto debeas examine conveniri.*]

CAP. IV.

Omne votum mutabile eſt, in votum religionis.

Idem.

SCripturæ *b*: [1 & ſ.] Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſervantiam commutare.

[1 *Sacro teſtimonio declaratur, quòd ſpiritualis homo propoſitum non mutat, cùm pro ſalute animæ ſuæ utilius aliquid meditetur. Inde eſt quòd veſtris juſtis poſtulationibus non indignati indulgemus: quòd qui ſepulchrum Domini vel aliorum ſanctorum limina propoſuerunt viſitare, & infirmitate vel alia rationabili cauſa occurrente habitum religionis aſſumere, atq; inter vos Deo ſervire voluerint, liberè ipſos ſuſcipere valeatis.*]

CAP. V.

Executio voti ultramarini, auctoritate Papæ poteſt ex cauſa differri.

Innocentius III. *Strigonen. Archiepiſcopo.*

NOn eſt *c* voti dicendus tranſgreſſor, qui quod vovit auctoritate ſedis Apoſt. diſtulit adimplere. Sanè ſignificavit nobis Rex Hungariæ, quòd cùm in regni perturbatione *d* conſilium & auxilium tuum ſibi ſenſerit hactenus profuiſſe, utilitati ejus non modicum derogaret, ſi Hieroſolymam (ſicut ex voto teneris) regno pergeres impacato: [1 & ſ.] Ideoque mandamus, quatenus non prius iter adripias Hieroſolymam adeundi, quàm regnum ipſum fuerit tranquillitati priſtinæ reſtitutum, vel ſuper hoc receperis ab Apoſt. ſed. mandatum.

[1 *Cùm igitur immineat nobis de honore ipſius Regis & ſtatu regni Hungariæ ſolicitè cogitare.*]

CAP. VI.

Eccleſia compellit hæredem laicum per excommunicationem, & bonorum ſubtractionem, ad executionem voti ultramarini, ad quod ſe obligavit pro defuncto.

Idem *Andreæ duci.*

---

a *Vid. B. Th. 4. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 4. ad 4. agrum.* b *Pravitatis.* c *Producendus.* d *Al. ad quod al. &c.* e *Ac poſt partum, &c.* f *Ac per hoc.* g *Debeat apud illas, &c.* h *Inſidiantur.* i *Ipſam.* k *C. 1. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alr. III. p. 35. c. 3.* l *Aut.* m *Aut.* n *Al. perveniens. Vid. c. 2. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 50. c. 15.* o *Al. Inſtrum, quam lectionem olim impugnavit Hoſtienſis.*

a *C. 1. eod. tit. in 2. comp. Vid. Navarr. in manuali confeſſariorum c. 12. num. 26. & 52. in Latino nuper impreſſo.* b *C. 2. eod. tit. in 2. comp.* c *C. 1. eod. tit. in 3. comp. Vid. B. Thomam, 2. 2. q. 88. art. 12.* d *Turbatione.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LIcet *a* univerſis liberum ſit arbitrium in vovendo, uſqueadeò tamen ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, ut ſine *b* proprio ſalutis diſpendio alicui non liceat reſilire. Accepimus ſiquidem, quòd cùm Rex Hungariæ pater tuus agens in extremis, votum quod voverat Domino, Hieroſolymitanam provinciam in fori manu, humili corde viſitare, ſub interminatione maledictionis paternæ, commiſerit *c* tuæ fidei exequendum, & tu adſumpto crucis ſignaculo, te id impleturum ſine dilatione qualibet promiſiſti: [1 & ſ.] Mandamus, quatenus poſtpoſitis cæteris ſolicitudinibus, uſque ad feſtum exaltationis ſanctæ Crucis debitum acceptæ crucis exolvens, propoſitum iter adripias, & humiliter proſequaris. Ne ſi onus tibi à patre injunctum, & à te ſponte ſuſceptum, occaſione qualibet detrectaveris, paterna te reddas ſucceſſione indignum, & hæreditatis emolumento priveris, cujus recuſaveris onera ſupportare: ſciturus extunc anathematis te vinculo ſubjacere, & jure quod tibi, ſi dictus Rex ſine prole decederet, in regno Hungariæ competebat ordine genituræ *d*, privandum, & regnum ipſum ad minorem fratrem tuum adp. poſtpoſita devolvendum.

[1 *Verùm eodem patre tuo ſublato de medio, cùm Hieroſolymitanum hoc iter te arripere ſimulaſſes, aſſumptæ peregrinationis oblitus, quam contra inimicos crucis dirigere debueras, in fratrem tuum & regnum Hungariæ convertiſti aciem bellatorum, & multa contra ſerenitatem regiam malignorum uſus conſilio commiſiſti. Nos autem, quos diebus iſtis ad pontificatus officium licet immeritos Dominus evocaverit, tam paci regni Hungariæ, quàm tuæ volentes ſaluti conſulere, nobilitatem tuam rogamus & monemus & exhortamur in Domino ac per ap. ſ.*]

CAP. VII.

Commutat Papa votum ultramarinum in vigilias, orationes & jejunia, tunc maximè, cùm ceſſat cauſa, quæ induxit ad vovendum: ita etiam, quòd expenſæ fiendæ in eundo, morando, & redeundo, integraliter mittantur in terræ ſanctæ ſubſidium.

Idem *Trecenſi Epiſcopo.*

MAgnæ *e* devotionis: & infrà. Cùm Trecen. eccleſia contra libertatem eccleſiaſticam gravaretur, nec per alium quàm per Campaniæ comitem in ultramarinis partibus conſtitutum, eidem eccleſiæ crederes poſſe de facili ſubveniri, ad ipſum propoſuiſti accedere: ac in ſignum peregrinationis & devotionis terræ Orientalis crucem dominicam adſumpſiſti: & infrà. Quamvis autem audita morte ipſius intentionem tuam conſpiceres jam fruſtratam, noluiſti tamen ſine conſilio Apoſt. ſed. ad propria remeare, ſed ingreſſus urbem *f* intentionis tuæ propoſitum, ac ſtatum Trecen. eccleſiæ, nobis humiliter expreſſiſti: [1 *& infrà.*] Et quidem tria præcipuè *g* duximus in hoc negotio attendenda, quid liceat ſecundùm æquitatem, quid deceat ſecundùm honeſtatem, & quid expediat ſecundùm utilitatem. Sanè non videbatur contra votum licitum ut venires, cùm vox clamet prophetica *h*, Vovete, & reddite Domino Deo veſtro: & primum ad conſilium, ſecundum ad imperium referatur. Sed nec decens videbatur, cùm ſit ſcriptum in Evangelio *i*: Nemo mittens manum in aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei, &c. Præterea non videbatur expedire, cùm ex abſolutione tua ſcandalum poſſet laicorum mentibus generari, dicentium, ubi eſt Deus clericorum? & hoc exemplo credentium, ſe ad voti obſervantiam non teneri. Quod enim agitur *a* à prælatis, facilè trahitur à ſubditis in exemplum: juxta quod Dominus inquit ad Moſen in Levitico: Si ſacerdos, qui eſt unctus, peccaverit, faciet delinquere populum. Verùm ætatis vitæ ſeneſcentis defectus, atque canicies, quæ vix labores & dolores ſuſtolerare poſſunt, in contrarium allegabant, & eccleſiæ Trecen. ſuſpiria, cui vinculo paſtoralis ſolicitudinis es ligatus, ſine cujus adſenſu votum peregrinationis emittere forſitan non debueras: & infrà. Ipſum etiam votum, quod ex ſui forma ſanctum & honeſtum erat, ex perſona voventis minus licitum videbatur. Cùm enim juxta canonica *b* inſtituta, clericus abſque ſui Epiſcopi licentia peregrinari non debeat, & Epiſcopus non minus, imò potiùs ſed. Apoſt. ſit adſtrictus, videri meritò poterat, quòd abſque generali, vel ſpeciali licentia votum peregrinationis, qua te tamdiu abſentares, emittere non debueres: [2 *& ſ.*]

Cùm igitur in lege veteri, in qua non minùs præceptum Domini obligabat, quàm votum hodie obliget in eccleſia, primogenita, quæ Domino mandabantur offerri, quædam domino redderentur, ut primogenita Levitarum: quædam redimerentur, ut aliarum tribuum: quædam commutarentur in aliud, ſicut primogenitum aſini, qui pro ove commutabatur: ex hoc attendentes, quòd votum commutari poſſit in opus aliud pietatis: non *c* curantes, quòd os loquentium iniqua loquatur, dum tamen non recedamus à tramite veritatis: de illius auctoritate ſecuri, qui cùm audiſſet à diſcipulis: Scis *d*, quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? reſpondit: Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum: tibi pro te & famulis tuis licentiam concedimus, votum peregrinationis taliter commutare, ut expenſas quas facturus eras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioſo committas, in neceſſarios uſus terræ illius ſine diminutione qualibet transferendas: & infrà. Laborem etiam laboribus recompenſes, ſolicitius inſtando vigiliis, devotius vacans orationibus, & in jejuniis fortiùs te exercens. Ad hanc autem indulgentiam tibi faciendam ſpecialiter nos induxit, quòd cùm pro libertate Trecen. eccleſiæ per dictum comitem adſequenda præcipuè votum peregrinationis emiſeris, eo ſublato de medio, quia ceſſavere cauſa, facilius ceſſare potuit & effectus.

[1 *Noſtrum & fratrum noſtrorum conſilium cum devotione requirens: ven. etiam f. n. Senonen. Archiep. tunc metropolitanum ſtatum Trecen. eccleſiæ, ad diſpendium quod ex abſentia tua incurrere poterat, ſemel & iterum per ſuas nobis literas intimavit: propter quod diſpoſuimus deliberare cum fratribus noſtris, an circa eandem Trecen. eccleſiæ miſericordiam faceremus, te ad eandem ipſius ſolicitudinem remittentes: an ſicut ex voto tenebaris, te iter arreptum perficere pateremur, & utrum horum tam ſaluti tuæ, quàm terræ orientali penitus expediret.*]

[2 *Minus etiam votum illud terræ orientali videtur expediens, quæ plus pugnatorum ſubſidium, quàm clericorum, quos officium & diſſuetudo reddit imbelles, manifeſtum periculi neceſſitate requirit, quamvis orationibus tuis & aliorum terra illa vehementer indigeat: quia tamen jam impletum eſt verbum Dei dicentis: Veniet hora, & nunc eſt, quando nec in monte hoc, neq; in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Spiritus ſanctus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Videri poterat quòd non minus in eccleſia tua quàm in Orientali terra proficeres piis orationibus apud Trecen. in his quæ pro libertate ipſius juſtè ac humiliter poſtulabis*

a *C. 2. eod. tit. in 3. compilat.* b *Propriæ.* c *Commiſit.* d *Vid. Bald. in l. ex hoc jure. ff. de juſti. & ju. ubi docet an ordine genituræ, vel electione ſuccedi debeat in regno.* e *Ca. 3. eod. tit. in 3. comp.* f *Scil. Romam, per excellentiam. §. ſed jus. Inſt. de ju. nat.* g *Diximus.* h *Pſal. 75.* i *Luc. 9.*

a *Vid. Alphonſum Caſt. l. 2. c. 8. de juſta hær. punitione* b *Hæc ſpectant tradita per B. Th. 2. 2. q. 88. art. 8. Exo. 13. & 22. Num. 3. & 18. Deut. 15. Luc. 2. Levit. 25. Exod. 36. Matth. 17.* c *Nec.* d *In antiq. ita: Non neſcis, quia, &c.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

re: & unàcum cum Moyſe montem poſſes aſcendere, ut manibus expanſis orante, Ioſue pugnans Amalechitas in ore gladii ſuperaret. Credebatur etiam quod terræ Orientalis magis accederes, quòd ſi in tuis, & tuorum clericorum procuratoribus fueras impenſurus, ſecundùm alicujus religioſi arbitrium transferetur in ſubſidium bellatorum.]

CAP. VIII.

Impedito ad tempus exequi votum ultramarinum conceditur dilatio, perpetuò verò impedito indicitur redemptio in eo quod magis expediat terræ ſanctæ.

Idem *Cantuarienſi Archiepiſcopo.*

Quod *a* ſuper his: [1 & ſ.] Quæſiviſti de his, qui pro ſuccurſu terræ ſanctæ ſigno crucis aſſumpto, propter infirmitatem vel paupertatem, vel aliam juſtam cauſam votum non poſſunt utiliter adimplere, cùm ſine dilatione receperis in mandatis, ut eos, qui ſignum crucis aſſumptum abjecerunt, ad reſumptionem ipſius, & executionem voti compellas. Nos autem inquiſitioni tuæ *b* taliter reſponde: quòd debiles & inopes magis ſunt in defectum, quàm ad profectum accedunt, cùm iſti pugnare non poſſint, & illi mendicare cogantur, niſi fortè ſint nobiles & magnates, qui ſuis ſecum expenſis bellatores adducant: vel artifices & agricolæ, qui de laboribus ſuis, ſibi poſſint acquirere neceſſaria, & terræ ſubſidium miniſtrare: quamvis non multi talium, propter brevitatem poſſeſſionum, & paucitatem inhabitantium ibi ſunt opportuni. Vnde credimus diſtinguendum inter illos qui temporalem, & eos qui perpetuam impedimenti cauſam creduntur habere: quod primis eſt indulgenda dilatio, ſecundis autem eſt redemptio injungenda, ac eorum facultate penſata, quas poſſunt, aut quas facturi eſſent expenſas, perſonarum præterea compenſato *c* laboris, ad ſubſidium terræ ſanctæ tranſmittant, exequentes per alios, quod per ſe nequeunt adimplere. Rurſus inter illos, qui pro defenſione terræ ſanctæ votum peregrinationis emittunt, & eos quibus pro ſatisfactione ſuorum criminum iter peregrinationis injungitur, credimus diſtinguendum: quod circa primos plus terræ ſanctæ ſuccurſus, & circa ſecundos plus labor itineris, ſecundùm intentionem voventis vel pœnitentis debet attendi. Vnde ſi quis hoc modo voventium eſt inutilis ad pugnandum, quamvis habilis ſit ad eundem, melius eſt redimere votum, quàm expenſas conſumere: quod & de pœnitente, qui propter debilitatem non poteſt iter injunctæ peregrinationis implere, ſanè valet intelligi, non autem de illo, qui quamvis ſit impotens ad bellandum, potens tamen eſt *d* ad (eundum:) [2 & ſ.] De mulieribus autem hoc credimus obſervandum, ut quæ remanere noluerint, viros ſuos ſequantur: cæteræ vero (niſi fortè ſint divites, quæ ſecum in ſuis expenſis poſſint ducere bellatores) votum redimant quod voverunt.

[1 Sed. Apo. conſulere voluiſti, quorum executio ſpectat ad officium paſtorale, ſ. 1. in Domino condemnamus, ſperantes quòd per reſponſionem noſtram inſtructus ea diligentius exequeris.]

[2 Super his autem diligens eſt diſcretio adhibenda, ne quid per timorem, amore vel odio, ſive occaſione quacunque contra ſalutem animarum, vel utilitatem terræ quomodolibet attentetur. unde per viros religioſos & providos diſpenſationi hujuſmodi volumus providen.]

CAP. IX.

Votum ultramarinum certis caſibus redimi & commutari poteſt, non tamen per alium, quam per Papam, vel cum ipſius ſpeciali mandato h. d. uſque ad §. ſecundò quæſiviſti.

Idem *eidem.*

Ex multa *a* tuæ ſolicitudinis providentia: [1 & ſ.] Ex conſultatione, quam ad inquiſitionem tuam ſuper negotio cruce ſignatorum olim edidimus, viam inveniſti ad alias quæſtiones, & utrum quod in ea dicitur, jus conſtituat generale, ut paſſim prælatis quibuslibet illos ſecundùm formam expreſſam abſolvere liceat, qui eorum ſunt juriſdictioni commiſſi, ſolicitè requiſiſti. Ad hoc igitur reſpondemus, quòd in conſultatione noſtra jus editur: & licet ad quales, ad quos tamen *b* ſpecialiter ſpectet ejus executio, nullatenus explicatur: illis autem ſolummodo jus hoc exequendum incumbit, qui ſuper hoc mandatum receperint à ſed. Apoſt. ſpeciale. Si ergo illi eſt inquiſitioni reſponſum, qua cõſequenter tua fraternitas requiſivit, de quibus religioſis intelligendum hoc eſſet: utrum ſcilicet ibi religioſi vocentur hi tantùm, qui religionis habitum ſuſceperunt, quorum plures idiotæ ſunt & juris ignari *c*, an Epiſcopi, qui ſicut dignitate præcellunt, ſic & religione debent aliis præeminere: nam ad neutros illius executio juris ſpectat, niſi per Apoſt. ſed. eis ſpecialiter delegetur.

[1 Credimus provenire, quòd cùm ad conſultationes tuas multiplices & frequentes reſpondemus, quòd ſentimus ex reſponſione noſtra novas elicias quæſtiones.]

Habiles ad eundum, ſeu inhabiles ad pugnandum, ſi ſunt ſtrenui conſilio, vel milites bellatores poſſunt ſecum ducere, votum ultramarinum non redimunt. h. d. Abbas.

Secundò quæſiviſti, utrum quod dicitur, ſi quis voventium eſt inutilis ad pugnandum, quamvis ſit habilis ad eundum, melius eſt ut redimat votum, quàm conſumat expenſas, generaliter accipi debeat, ut nobiles *d* & magnates, qui ſunt conſilio ſtrenui, & multos ſecum poſſunt trahere bellatores, an minores tantummodo verbum hujuſmodi comprehendat? Verùm ſi ad ſuperiora oculum tuæ conſiderationis extendas, quæſtionem iſtam *e* invenies in ſerie conſultationis noſtræ ſolutam, ubi dicitur, quòd debiles & inopes magis in defectum terræ ſanctæ, quàm ad ejus profectum accedunt, &c. Quamvis poſſit *f* aliter reſponderi, quòd non ſunt inutiles ad pugnandum, qui etſi per ſe pugnare non poſſunt, maturitate tamen conſilii adeſſe valent pugnantibus, & perſonæ defectum per alios relevare: [1 & ſ.]

[1 Tertiòque, loco tua f. requiſivit, qualiter intelligi debeat, quod de mulieribus ſubinfertur, ut quæ remanere noluerint, viros ſuos ſequantur euntes. Cæteræ verò quæ non ſint divites, quæ ſecum in ſuis expenſis poſſint ducere bellatores, votum redimant quod voverunt: hoc enim quod ultimo loco dicitur, videtur tantùm de voventibus eſſe dictum.]

Vxores poſſunt ſequi viros ultra mare ſi volunt, ſed non tenentur, niſi & ipſæ voverint. h. d. Abbas Siculus.

Quod autem ſuperius ponitur, mulieres quæ remanere noluerint, &c. de illis intelligendum eſſe videtur, quæ ſe ad peregrinationis propoſitum nullius voti vinculo adſtrinxerunt: [1 & ſ.]

[1 Quod ſic eſſe dubium non exiſtit. Ex eodem quoque verbo dicis videri quibuſdam, quòd viris liceat in hoc articulo ſine uxorum ſuarum aſſenſu vovere poſſe, ac perficere quod voverunt. Ad quod dicimus quòd.]

Viri ſine conſenſu uxorum emittere poſſunt votum ultramarinum. h. d. Abbas Siculus.

In tanta quoque neceſſitate populi Chriſtiani, ne terræ ſanctæ impediatur ſubſidium, viri præter uxorum aſſenſum, hujus peregrinationis propoſitum vovere liberè *g* valent: quod voverint, liberè adimplere. Vt autem conſentiant, ſunt attentius commonendæ.

---

a C. 4. eod. tit. in 3. comp. b *Inquiſitioni tuæ reſpondemus.* c *Recompenſare.* d *Contius eundem. Addit in margine: adductio, conſilium, utrumque præter veterum exemplarium fidem.*

a *C. 5. eod. tit. in 3. comp.* b *Tantùm, in uno vetuſtiſſimo exemplari:* c *Vid. l. 1. cum not. per doct. C. de inter. ma. inter pupil. not. Bald. in authen. de mona. colla. 1.* d *Al. etiam.* e *Dictio, iſtam, deeſt in vetuſtis.* f *Et aliter.* g *Valeant.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clerici tanquam inhabiles ad pugnandum redimunt votum ultramarinum, niſi in certis caſibus, h.d. Abbas Siculus.

De clericis *a* verò duximus reſpondendum, quòd cùm clericatus officium eos reddat inhabiles ad pugnandum, niſi vel conſilio ſtrenui, vel officio prædicationis inſtructi, aut magnatum ſint obſequio deputati, aut uſque adeò divites fuerint, & potentes, ut in expenſis ſuis aliquos ſecum ducere valeant bellatores: magis ab eis expetit redemptionem accipere, quàm ad votum illos cogere proſequendum, ſi neceſſitas exigit, vel utilitas perſuadet. Hæc autem de voventibus dicimus, non de his, quibus labor peregrinationis in pœnitentia eſt injunctus.

CAP. X.

Qui vovit religionem ingredi, ſi voto non completo fiat Epiſcopus: renunciare debet, & votum implere. Sic communiter ſummatur.

Idem.

PErtuas *b* nobis literas intimaſti te in Gratianopolitana eccleſia ſuſcipiendi habitum regularem votum ſolenniter emiſiſſe, & poſtea promiſiſſe in manibus prælati ejusdem eccleſiæ, te intra duos menſes poſtquam ab Apoſt. ſed. rediiſſes, votum quod emiſeras impleturum. Cumque termino ipſo tranſacto non curaſſes, quod voveras, adimplere, tandem exiſtens voti tranſgreſſor, vocatus fuiſti ad regimen eccleſiæ Gebennenſis. & infrà. Nos igitur tuæ diſcretioni conſulimus, ut ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam, regimen reſignes eccleſiæ memoratæ, ac reddas altiſſimo vota tua. Quòd ſi capitulum Geben. eccleſiæ te poſtmodum canonicè duxerit eligendum, electionem recipere poteris de te factam.

CAP. XI.

Prælatus etiam profeſſus poteſt votum ultramarinum emittere, & in ſuos uſus vigeſimam proventuum eccleſiæ convertere.

Honorius III. *Haresben.* c & *Bengad. præpoſitis.*

POſtulaſtis à nobis, an *d* vobis profeſſis ordinem regularem, quorum alter cruce ſignatus eſt, & reliquus charactere crucis deſiderat inſigniri, liceat vigeſimam proventuum eccleſiarum veſtrarum deputatam ſuccurſui terræ ſanctæ deferre vobiſcum: [1 & ĵ.] Diſcretioni veſtræ taliter reſpondemus, quòd ſi eccleſiæ veſtræ per abſentiam veſtram enormiter non lædantur, & vos utiles fueritis terræ ſanctæ verbo pariter & exemplo, (quod conſcientiæ veſtræ duximus relinquendum) dimiſſis procuratoribus idoneis in eccleſiis veſtris, poteſtis & tenemini votum peregrinationis implere: & ſic poteſt in uſus veſtros tranſire vicesima eccleſiarum veſtrarum terræ ſanctæ ſubſidio deputata.

[1 *Ut per vos proficiat terra illius ſuccurſui, qui parati eſtis perſonas veſtras exponere ſervitio Ieſu Chriſti, præſertim cùm multi exemplo æmulationis laudabilis provocati ad currendum poſt vos laudabiliter accingantur: præliaturi prælium Domini contra gentes. Quia verò liberationi terræ illius totis viribus aſpiramus.*]

DE STATU MONACHORUM ET CANONICORUM REGULARIUM.

TITULUS XXXV.

CAP. I.

Diœceſanus non debet moleſtare monaſteria, præterquam pro cauſa correctionis: nec eis oblata ſibi vendicare.

Gregorius *Archiepiſcopo Neap.* a

THeodoſius: [1 & ĵ.] Alicui monaſterio [illegible] tu, nec Presbyteri tui, præter diligentiam diſciplinæ, aliquid moleſtiæ inferatis. Aut ſi quid illis pro diverſorum devotione acceſſerit, vobis vindicare [illegible] metis. Cùm monachis ſibi ſervientibus debeat præbere, quicquid à fidelibus taliter offerri contingit.

[1 *Abbas monaſterii S. Martini petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quæ habetur in ſubditis, in domo quondam Meroni [illegible] voluntate deceſſorem ſuum Andream Abbatem, monaſterium in quo monachi habitare debeant, conſtruxiſſe. Et quia id in honorem beati Petri Apoſtolorum principis, & S. Archangeli [illegible] dedicari: dilectionem tuam præſentibus apicibus duximus [illegible] tandam, quatenus ad præd. locum cùm poſtulaverit, [illegible] accedas, veneranda ſolennia dedicationis impendens. [illegible] neceſſe fuerit, à Presbyteris eccleſiæ tuæ in loco ſancto [illegible] celebrentur ſacrificia veneranda miſſarum, ita ut in eo [illegible]*]

CAP. II.

Monachi non debent poni ſinguli per parœcias, hoc primo. [illegible] pro monachatu aliquid detur, receptus à ſacris ordinibus [illegible] & recipiens ab officio ſuſpenditur hoc ſecundo. Monachus habens peculium ſine licentia Abbatis, ab altaris communione [illegible] ſic decedens, ſepultura & fratrum communione privatur [illegible] Si pecunia confertur pro habendo aliquod officium [illegible] dans & recipiens deponuntur. hoc quarto. In prioribus conventualibus per electionem inſtituti non ſunt removendi [illegible] bili: & de cauſa rationabili tria ponit exempla. h.d. [illegible] dendo ſubſtantiam.

Ex concilio Lateranen. *c*

MOnachi non *d* precio recipiantur in monaſterio, nec peculium *e* permittantur habere, nec [illegible] per villas & oppida per quaſcunque parochias [illegible] nantur eccleſias, ſed in majori conventu, aut cum [illegible] bus fratribus maneant, nec ſoli inter ſeculares [illegible] ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, Salomone dicente: Væ *g* ſoli! quia cùm ceciderit, non [illegible] levet eum. Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros ordines non aſcendat. [illegible] rò, qui eum *h* receperit, officii ſuſpenſione, [illegible] Qui verò peculium habuerit, niſi ab Abbate [illegible] injuncta adminiſtratione permiſſum, à communione [illegible] moveatur altaris, & qui in extremis cum peculio [illegible] tus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio [illegible] nec inter fratres accipiat ſepulturam. quod etiam [illegible] verſis religioſis præcipimus obſervari. Abbas autem [illegible] iſta diligenter non *i* caverit, officii ſui jacturam [illegible] verit incurſurum. Prioratus quoque ſeu [illegible] precii donatione nulli tradantur, alioquin [illegible] pientes à miniſterio fiant eccleſiaſtico alieni. [illegible] autem cùm in eccleſiis conventualibus per electionem capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti, [illegible] manifeſta & rationabili cauſa non mutentur, [illegible] ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, [illegible] aliquid *l* egerint, pro quo amovendi meritò [illegible] aut ſi etiam pro neceſſitate majoris officii de conſilio [illegible] trum fuerint transferendi.

a *De materia hujus. §. & cur clericis & Epiſcopis pugnare non liceat, vid. B. Thom. 2. 2. q. 4. art. 2.* b *Conc. Triden. ſeſſ. 24. tit. de reg. c. 1.* c *Haresberien. & Beregaden. præpoſitis al. Hareſtien. & Beregadenſ. al. Havenenſ. & Beregabenſ.* d *Virum.*

a *Hic in quibuſdam recentioribus legitur Gregor. [illegible] ſed rectè Contius. Imo primus l. 7. Ind. 2. epiſt. [illegible]* b *[illegible]* *1. comp. In aliis Theodor.* c *Conc. Lat. ſub Alex. III. c. [illegible]* *eod. tit. in 1. comp.* e *Id eſt, proprium. Vid. [illegible]* f *Eccl. c. 4.* g *Si.* h *Recipit.* i *[illegible]* k *Al. ita: ut vid. l. ſed in antiq. & in conc. ut eſt [illegible]* l *Aliud.*